



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

211. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eadem re. *Ex eodem.*

Concil. Tri-
bur. c. 43.
Burchard. lib.
17. c. 14.

CCXI. Si frater cum muliere fornicatus fuerit, & frater nesciens cum eadem concubuerit, mulier diebus vitæ suæ pœniteat; post pœnitentiam autem frater ignarus sceleris conjugium accipiat, si vult. [*Vide Concilium Compendiense sub Pippino cap. 8. & lib. 5. Capitular. c. 19.*]

De separatione. *Ex Concilio ad Vermeriam temporibus Pippini.*

Concil. Ver-
mer. c. 1.
Concil. Com-
pend. c. 1.

CCXII. In tertio geniculo separentur. In quarta autem conjugatione si inventi fuerint, non eos separamus, sed pœnitentiam eis indicimus. Et tamen si factum non fuerit, nullam facultatem conjungendi in quarta generatione damus.

De eadem re. *Ex eodem.*

Concil. Ver-
mer. c. 2.

CCXIII. Si aliquis cum filiastra sua manet, nec matrem nec filiam ipsius potest habere, nec illa nec ille aliis se poterunt conjungere ullo unquam tempore. Attamen uxor ejus, si ita voluerit, si se continere non potest, si postea quàm cognovit quòd cum filia sua vir ejus fuit in adulterio, carnale commercium cum eo non habeat, si vult potest alij nubere.

De eadem re. *Ex eodem.*

Concil. Ver-
mer. c. 10.
Burchard. lib.
17. c. 11.

CCXIV. Si quis cum noverca sua dormierit, neutiquam possunt ad conjugium pervenire. Si vir ejus sic vult, potest aliam accipere, si se continere non potest. Similiter qui